

**Ioannes Baptista Giattinus**

**‘Ariadna Augusta’**

Tragoedia  
(1662)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Juni 2007

## Argumentum

Nititur haec Tragaedia iis, quae perstricte referunt historici, praesertim Iornandes lib. de Regnorum ac temporum successione et Petrus Garzia in vita Zenonis Imperatoris. eius argumentum ita se habet: Hyllus, Zenoni Imperatori carissimus eiusque palatii generalis Praefectus, invidentia stimulatus contra Leontium, Ariadnae Imperatrici addictissimum, fraudem cum Dolone, supremo Cancellario ac sibi familiarissimo, in Ariadnae perniciem molitur Olethriae ope, quae Imperatrici a secretis erat, sed clam Dolonis amantissima. haec literas ignotis notulis, quae vulgo cifrae dicuntur, ad Leontium mittit, quasi essent ab Augusta scriptae, et eiusdem obsignat annulo, quibus Leontius compellitur ad Zenonis caedem perpetranda oblato illi Caesaris sceptro ac toro; idque eo facilius peragi potuit, quod Augusta revera Leontio dederat cifrarum exemplar earumque significationem. Zeno ex hisce literis ad se delatis uxorem nefandi ream sceleris ratus Adrasto mandat, ut illam noctu adortus in toro iacentem confodiat. Ariadna ea recognita Olethriam sibi iam suspectam ad suum torum invitat; ipsa vero ad Achatium Patriarcham confugit. Adrastus Olethria confossa, quam per tenebras Ariadnam credidit, rem peractam Zenoni renunciat; hic simulans Augustam repentino morbo sublatam lugubrem ornatum induit, sed ab Achatio reprehenditur, et fraus detegitur.

## Actores

Zeno	Imperator
Ariadna	Zenonis coniux
Hyllus	<Praefectus palatii, Zenoni carissimus>
Dolon	<Cancellarius supremus, Hylli familiarissimus>
Leontius	<Dux supremus armorum, Ariadnae addictissimus>
Dioscorus	<Leontii familiarissimus>
Achatius	<Patriarcha>
Adrastus	
Phaedrus	<puer quindecim annorum, Ariadnae familiaris>
Centurio	
Legatus Aegypti	
Nuntius	

## Actus primus Scena prima

Dolon, Hyllus

- Dol. Zenonis in nos gratia allapsu licet  
Fluat benigno nosque regnantis prope  
Ad culmen ultro provehat, inanes tamen  
Vmbras adhuc tenemus et blandos dolos  
Sortis malignae, dum feros in nos vibrat 5  
Augusta visus, tabe dum nostra tumens  
Halat venenum. faemina et coniux furens  
Malum est medelae nescium, exitio opprimit.
- Hyl. Me provehat Zenonis ardescens amor,  
Meam ad ruinam provehit, rabidae strigis 10  
Dum pervicax susurrus Augustum quatit  
Odiumque nostri paene guttatim viro  
Instillat uxor; gutta si lapidem cavat,  
Plus mulier acri sibilo arrodit virum.
- Dol. Haud vana trepidas: semper odiorum tenax 15  
Augusta nostram concoquit cladem sinu.  
Quin et muliebri subdit ardori faces  
Semper novas Leontius acerbus tui,  
Sed tectus hostis, cui pares sceptro facit  
Animos amantis perditae Augustae favor. 20
- Hyl. Hic est malorum gurges, haec primum lues  
Est dissipanda. defluit plantae vigor  
Humore dempto. faemina, ut vitis, nisi  
Innixa fulcro, vim suam nunquam exerit.
- Dol. Leontius levabit oppressus metum, 25  
Sed non levabit penitus; Augustae furor  
Fovebit odia, dum fovet vitam calor,  
Eritque nostrum sola ad exitium satis.  
Audere si quid praestat, hinc ausum prius  
Est auspicandum; non nisi Augusta simul 30  
Cadente sospes nostra perstabit salus.  
Nocet medela, ni petat morbi caput.
- Hyl. Molimen ingens meditor; Augustae necem  
Per omne facinus molior, tandem dolo  
Ariadna nostro coniugis ferro cadet. 35  
Sed faeminae actus faeminae casses struat;  
Olethria summam facile votorum dabit.

- Dol. Illi patescit, quidquid arcanum foveat  
 Augusta, quidquid paginae et caecis notis  
 Concredit; illi plena in Augustae annulum 40  
 Datur potestas. tota in Olethriam fluit  
 Ariadna, cordis abditos pandit sinus.  
 Fraus hinc petenda; certior fraudi est via,  
 Quae non cavetur et tamen cunctos subit  
 Dominae recessus. figere hic fraudem iuvat. 45
- Hyl. Figam, nec ullus effluet segnis dies.  
 Olethriam tu consule et, quidquid vides  
 Favere votis, urge et in maius trahe.
- Dol. In nostra vota pectus Olethriae flagrat,  
 Sed arte ventilabo pellaci faces. 50

## Scena secunda

Zeno, Leontius

- Zeno Semota late regna dum princeps regit,  
 Regnare solus, regere non solus potest.  
 Subiecta quale in membra dominatur caput  
 Spargitque vitae robora et habenas trahit,  
 Talis per ampla regna dominantis vigor 55  
 Se fundit et virtutis afflatu meat.  
 Minister, est regnantis et vis et calor,  
 Quibus remotas animat imperii plagas.  
 Sed imperanti primus incumbat labor,  
 Vt arma - nervos quippe regnorum - manu 60  
 Tractet fideli, provida, forti, pia.  
 Hinc te, Leonti, longa quem virtus probat  
 Et fixa nostro semper obsequio fides,  
 Digne supremum seligo armorum ducem.
- Leo. In me profusum gratiae augustae decus 65  
 Adoro pronus; muneri tanto parem  
 Me nulla virtus reddit, haec solum tuae  
 Ministra mentis arma tractabit manus.
- Zeno Ducis supremi tesseram, virgam cape  
 Et martis una regimen; ad pacem magis 70  
 Quam bella custos pacis armatus praei.  
 Sit meta bellis unica et pax et quies.

(Actus I)	Ioannes Baptista Giattinus, 'Ariadna Augusta'	5
Leo.	Tua iussa, tuus attactus huic virgae impetum Martisque robur imprimant; mentis tuae Transfusa virtus bella vel pacem geret.	75
Zeno	Tutamen ac levamen imperii tuam Optant, Leonti, dexteram, at mentem magis, Quam plena virtus fulta consilio regat.	
Leo.	Dextram, cruorem, quidquid hic spirat mei, Devoveo iussis, nutibus, votis tuis. Auguste, tua mens animat hos arctus magis Quam meamet ipsa vita; non me praeficis Armis, sed in me praeficis temet ducem.	80
Zeno	Sat novimus Leontium. Augustam quoque Venerare supplex; quippe te bellis ducem Et ipsa mecum destinat, cuius manu Tibi iam paratae chlamydis ornatum cape.	85
Leo.	Vtriusque claram syderis lucem colo Maioris et minoris, hinc felix dies Et inde nox serena volvuntur mihi.	90
	<i>abit Leontius.</i>	

### Scena tertia

Zeno, Hyllus

Hyl.	Auguste, laetam gratulor imperio diem, Sed mihi supremam; quippe ad augustos lares Praecludit omnes obice obducto vias.	
Zeno	Tibine, profundos Zeno cui laxat sinus Latentis animi, regia in conclavia Prohibetur aditus? scepra quis mecum geret? Quis imperanti iura Zenoni dabit?	95
Hyl.	Leontius, cui tota se fundit flagrans Augustae amantis gratia. hic tantus calor Aestu maligno digerit tabem meam. Ariadna mecum pervicax bellum gerit, Occulta Erymnys, et meam cladem struit. Est illa Domina, est mulier, est coniux tua, Est Imperatrix; unicum nomen foret Satis superque, cuncta quid praestent simul? Sat vixit Hyllus regiae; solum potest In ea perire, ni procul quaerat sibi	100 105

	Remota ab aula exilia et ignotas plagas. Sed ibo labis purus et fidei tenax, Quae semper una perget exilii comes.	110
Zeno	Te falsus umbra territat vana color. Nostras per aulas inferet nunquam caput Muliebre regimen; imperat solum colis Et in Minervae pensa ius totum dabit. Quid, quod nec ipsa parciore laudes tuas Augusta iactat nec tuo prae se gerit Adversa lucro studia? dissimulet licet Seseque celet, aliquis erumpet tamen Teter maligni cordis e fibris odor.	115
Hyl.	Laesura morsu rabida non latrat canis, Designat ictum tacita. iam sensus tuos In me furens Augusta propensos videt Et hinc venenum condit ac nutrit sinu Aptumque tempus captat, ut tandem vomat. Vxor arcto cingit obsidio virum Nec vim remittit, donec obsessum domet Palmanque voti compos et victrix ferat.	120 125
Zeno	Erras: muliebres nosco mellitos dolos.	
Hyl.	Vxor Argos fallit oculatos amor.	
Zeno	Suspicio iam praemonita fallentem cavet.	130
Hyl.	Leontius me nixus Augusta premet.	
Zeno	Leontium tu nixus Augusto opprime.	
Hyl.	Occulta tendet retia Ariadnae manu.	
Zeno	Occulta franges retia hac fretus manu.	
Hyl.	Est morte peius vivere tot inter metus.	135
Zeno	At saepe mens sollicita sibi fingit metus.	
Hyl.	Despondet animus.	
Zeno	ratio confirmet virum.	
Hyl.	Da posse ab aula cedere.	
Zeno	hoc Caesar nego.	
Hyl.	Concede fidei hoc, Caesar.	
Zeno	hoc tu Caesaris	
	Concede amori.	
Hyl.	prodigus vitae tuis Succumbo iussis.	140
Zeno	prodigum Zeno sui Se spondet Hyllo.	
Hyl.	monstra me Ditis petant, In me trisulcas astra devolvant faces: Haerebo semper Caesari, atque Hylli cinis Fixam fovebit usque Zenoni fidem.	145
Zeno	Longaevum in Hyllo spero vitalem fidem.	

**Scena quarta**

Hyllus, Dolon

- Hyl. Ardentior me Zeno complexus suae  
 Perenne columen gratiae spondet mihi.  
 Sed quod meas iam sternit ad fraudes viam,  
 Suspicio pectus Caesaris sensim subit 150  
 Vmbrisque tenet, quod per Augustae dolos  
 Leontio faventis exitium mihi  
 Credat parari: fixus hic haeret pavor  
 Zenonis animo sibilo iniectus meo.
- Dol. Scite serendis fraudibus sulcos agis; 155  
 Nec ipse lentus oscitor: cuivis malo  
 Apte gerendo machinam hic clausam gero.  
 Arcana signa haec pagina et puncta et notas  
 Cunctos latentes exhibet; solum patent  
 Leontio atque Augustae, ut his tuto invicem 160  
 Signent papyrum, sensa et occulte expriment.  
 Olethria hoc exemplar et clavem simul,  
 Quae pandat haec aenigmata hic, furtim dedit.
- Hyl. Claves dolosas intima ad sensa obtines.  
 Vtriusque mentem certus inopino potes 165  
 Astu subire, caeca laxatur via  
 Nostros ad usus; struere quid magnum decet.
- Dol. Iam struximus. Leontio his scriptam notis  
 Olethria spondet paginam, Augustae quasi  
 Dextra exaratam grande suadentem scelus 170  
 Quam mox patrandum, nempe Zenonis necem.
- Hyl. Spondet mea supra vota.
- Dol. mentitis notis  
 Spirans venenum pagina Augustae tua  
 Delata fraude, tabida afflabit lue  
 Legentis ora, Tartara in pectus vomet! 175
- Hyl. Ergo hanc papyrum, quae sub arcanis notis  
 Sensus latentis indices caecos fovet  
 Versatque fraudis machinam, Caesar gerat.
- Dol. Tu porrige et spem suscita horrendum fore,  
 Vt mox scelus depredat uxoris manu 180  
 Clausum sub his aenigmatibus; haec spes doli  
 Cito aucupandi Tantali accendet sitim.

## Scena quinta

Leontius, Dioscorus

- Leo. Grates Olympo, cuius afflatu fruor  
 Mihi tam secundo. quanta ab Augustis modo  
 In me redundat gratia! enervi iacet 185  
 Invidia nisu, meque sublimi vehens  
 Fortuna gyro mobilem sistit rotam.
- Dio. Adhuc, Leonti, findis incertum salum.  
 Ne fide pelago: saepe sub risu tegit  
 Acres procellas; non adhuc portum tenes. 190  
 Et dum iacente torpidam vultu refert  
 Invidia maciem, virus internum ciet  
 Acuitque dentes, rabida ut in vulnus ruat.
- Leo. Feror per undas, fateor. at quisnam furor  
 Astri invidentis adeo inhaerentes mihi 195  
 A me revellat princeps? nunquam diu  
 Invidia se dissimulat; eructat gravem  
 Semper mephitim, tabe se prodit sua.
- Dio. Felix suomet ebrius et audax bono  
 Se fraena sortis flectere ex voto putat. 200  
 Sed quid? tuane totus e mente excidit  
 Hyllus? nec Hylli subdolas artes tremis?  
 Nec efferatum pectus obtectum dolo!  
 Te sospitali sydera allapsu beent,  
 Hic te cometes terreat repens solo. 205  
 Vos ampla quamvis aula non capiet duos,  
 Qualesque mutant Castor et Pollux vices,  
 Tales per aulam vester alternat favor:  
 Attollet alter? alter abiiciet caput.  
 Dum perflat aura regiae, et nostris favet 210  
 Ariadna caeptis, ocyus pestem opprime;  
 Hyllumque ab aure Caesaris, qua vi potes  
 Et arte polles, abstrahe et longe amove.
- Leo. Hylli fragores rideo; imperii rego  
 Solus ego habenas, arma dum solus rego. 215
- Dio. Moves minister arma, sed Zeno regit.
- Leo. Me sospitans Augusta Zenonem regit.
- Dio. Regit, sed Hyllus fortius.
- Leo. at uxor praeit.
- Dio. Fraudis magistrum, sceleris artificem time.
- Leo. In se ruinam saepe nimis audax trahit. 220
- Dio. Audacibus fortuna nec raro favet.



- Leo. Audacibus sed impiis raro favet.  
 Dio. Sibi quisque proditoris insidias cavet.  
 Leo. Praestat cavere, texere at fraudes pudet.  
 Dio. Dum fraus cavetur fraude, cur fraudis pudet? 225  
 Leo. Est turpe fraudem reddere, est miserum pati.  
 Dio. Fraus ad medelam fraudis est plane innocens.  
 Leo. Medela turpis aegrius morbo gravat.  
 Disces mederi, quando nil prosit, malo.  
 Deprehensus Hylli cassibus sero gemes 230  
 Non fraude praecavisse fallentis dolos.  
 Leo. Laudis sequacem quaelibet inundent mala,  
 Nunquam decori taedet aut recti piget.

### Scena sexta

Achatius, Leontius

- Ach. Coelo annuente laetus optatis fruor,  
 Dum, ductor, aquilas martis Eoi regis; 235  
 Virtute dignos gratulor honoris gradus.  
 Leo. Verende Praesul, osculor pronus manum  
 Plusquam paternam semper urgentem mea  
 Vbique decora; semper haec etiam tuis  
 Addicta iussis arma disponet manus. 240  
 Ach. Cultus Tonantis, sancta maiorum fides  
 Dominentur armis; fastus, ingluvies opum,  
 Furor, libido, laudis enormis sitis  
 A te tuisque ferveant castris procul.  
 Non te flagellent vitia, sed virtus agat. 245  
 Tua castra vallet aequitas, pietas, pudor,  
 Amica recti ratio; sic Coeli favor  
 Tuis sub armis militans palmas dabit.  
 Leo. In te loquentis Aetheris linguam colo  
 Venerorque voces; excolent cordis sinum 250  
 Delapsa Coelo haec monita palmarum mihi  
 Futura post hac semina et felix seges.  
 Tuum est potenti dexterum Numen prece  
 Ad signa nostra flectere; o quantum, Pater,  
 Praestant precantum vota telorum ictibus! 255  
 Ach. Votis Olympus annuat, vota et preces  
 Caetus fidelis arma fortunent tua.

## Actus secundus Scena prima

Leontius, Dioscorus

- Dio. Audi monentem tempori. frustra dolet,  
Qui sero cavit; poenitet stultum sui  
Extra medelam, quando praecipitant mala. 260  
Hyllum pavesce; dum potes, cladem para,  
Et, ne, Leonti, corruas, Hyllus cadat.
- Leo. Tutatur Hyllum Zeno et arcanos libens  
Hylli susuros captat; est blandum malum  
Amica syren Caesaris ad aurem canens. 265  
Nec facile vellas, corda quod blande subit.
- Dio. Praecelsa virtus arduis sese probat.  
Non solus Hyllum distrahes; ingens trahis  
Ad ausa pondus: viribus iunctis adest  
Augusta tecum. semper infenso ac truci 270  
Spectavit Hyllum lumine. accedet novi  
Nunc fomes odii; nam Dolone interprete  
Olethriae per ora vel scriptas notas  
Mens tota in Hyllum nesciae Augustae fluit:  
Ignara fraudis, perfida Olethriae fide 275  
Ariadna faede proditur et Hyllo patet.  
Haec si tuis expressa flexanimis modis  
Augusta norit, congeret in Hylli caput,  
Irata quidquid Caesaris coniux valet.
- Leo. Olethria tantum labitur? amantem sui 280  
Dominam nefando turpe denudat probro?
- Dio. Dolonis igne torrida infringit fidem.
- Leo. Famulae pudendum detegam Augustae nefas  
Hyllique fraudes asseram, ut vitet vafri  
Sinonis artes, ne quid incautis struant. 285
- Dio. Mox quando fandi mollius tempus favet,  
Zenonis uxor questibus, diris probris  
Iactis in Hyllum Caesaris amorem prece,  
Fletu, eiulatu, mollibus, duris modis  
Compellet, hanc ut regia vulpem extrahat. 290
- Leo. Monebo, ne se Olethriae credat nimis  
Augusta et Hyllum regia, quovis queat  
Fuco decori, pellat et regnet procul.

**Scena secunda**

Zeno, Hyllus

Zeno	Nondum resedit animus? insidias adhuc Suspicio tristi sparsa diffundit metu?	295
Hyl.	Lux alma certo monstrat insidias metu. Hylli cruorem, Caesar, ardentem sitis, Nisi explicatis subtrahas Hyllum plagis. Sinas ab aula, Zeno, et Augusta procul Me fugere ad orbis prorsus ignoti solum.	300
Zeno	Fuge; fugientis ibit et Zeno comes.	
Hyl.	Vnius Hylli sedat Ariadnam fuga.	
Zeno	Vnius Hylli Zeno non patitur fugam.	
Hyl.	Patietur ergo funus.	
Zeno	et cuius manu?	
Hyl.	Leontii.	
Zeno	me Caesare an tantum audeat?	305
Hyl.	Addit animos Augusta.	
Zeno	Caesar detrahit.	
Hyl.	Dolum sub umbris construent.	
Zeno	Caesar vigil Scrutatur umbras.	
Hyl.	saepe vigilantem latro Fallit per umbras.	
Zeno	Caesaris vultus diem Vbique praefert.	
Hyl.	insolens, audax novus Est ordo fraudis.	310
Zeno	insolens, audax nova Zenonis aderit cura.	
Hyl.	Zenonis colo Oracla vocis; nam quid ignavus meas Horresco clades? astra devolvant vices, Quas fata poscunt; voveo Zenoni caput. Sed quo medullas abditas fraudum queas Lustrare, Caesar, paginam ignotis cape Signis notatam. signa quid valeant, docet Adiectus index; his latebrosas notis Augusta saepe literas scribit suo Leontio et responsa furtive capit.	315
Zeno	Vnde hanc potiris?	
Hyl.	nuper occulte dedit Olethria, cui sat viscera Augustae patent.	320

- Exemplar ipsa exscripsit atque eadem brevi  
 In has daturam literas spondet manus, 325  
 Quas destinat Leontio his pictas notis  
 Augusta, cordis sensa quo solus legat.  
 Zeno Hac arte clausam coniugis mentem iuvat  
 Adire furtim.  
 Hyl. Caesar, haud vanis agi  
 Me somniis iam senties: nosces meum, 330  
 Nosces per haec aenigmata, heu, guttur peti.  
 Zeno Si novero, probe ulciscar et, si quod scelus  
 Cudetur in te, construi in memet putem.

### Scena tertia

Hyllus, Dolon

- Dol. Amica sortis aura iam, plusquam libet  
 Optasse, nos fortunat et caeptis adest. 335  
 Hanc symbolis epistolam arcanis sua  
 Manu exaratam tradit Olethria et quasi  
 Nomine Ariadnae scripta et Augustae annulo  
 Signata se Leontio sistet suo.  
 Quid ea latenter innuat, claris notis 340  
 Exponit haec papyrus.  
 Hyl. ea paucis refer.  
 Dol. Ariadna furiis percita et amoris face  
 Leontio despondet et sceptrum et torum,  
 Si quo peremptus occidat Caesar dolo.  
 Illi nefandum perfida iniungit scelus 345  
 Totumque in ipsum congerit Avernum ferox.  
 Vtramque tute paginam Augusto dabis  
 Blandoque dexter condies fraudem sono.  
 Hyl. Orci colubrum virus halantem Stygi  
 Papyrus haec vibrabit Augusti in sinum. 350  
 Hic proditur amor, vita, fortunae, decus  
 Et, quidquid est Zenonis. heu, qualis ruet  
 Isthinc procella! truciis irato Iove  
 Haec fulminabit pagina et strages feret.  
 Dol. Sed aptius concinnet hanc fraudem prius 355  
 Digestus ordo sceleris et veri color  
 Offusus arte. fallat ut plene dolus,

	Pars una reliquis consonet; durum nihil, Nil non canorum concrepet et aptum minus.	
Hyl.	Vires, medullas, viscera et, quantum coquit Hyllus veneni, congeram. Augusta occidit. Repugnet Aether, sydera obsistant, Tonans Nec ipse sistet impetum fraudis meae.	360
Dol.	Et Hyllus alter Zeno ius mecum dabit.	

### Scena quarta

Phaedrus, Adrastus

Phae.	Torpes adhuc, Adraste? quid tandem paves? Cur te sequentem gratiam Augustae fugis? Quid parcis Hyllum perdere? Augustus tuo Ab ore sensus haurit et mentem libens Ad tua reflectit monita: deluso explica Aulae Sinonem Caesari et monstrum biceps.	365     370
Adr.	Hoc sperat a te regia; hoc voto, hoc prece Ariadna poscit anxia. hunc si Protea Pelles ab aula, prodigam Adraستي lucris Augusta spondet gratiam, vires, opes.	375
	Servire Dominae nutibus nostro foret Fortuna voto maior; haud pronο tamen Cursu ruamus. Caesari gratum sonat, Quod insusurrat Hyllus, et pestem bibit Vitale murmur aure decepta ratus. Est lente agendum: principi quidquid placet, Sensim revellas; quodque regnantis semel Insedit animo, facile non cedit loco. At non hebescet lingua, nec nostri piger Conatus oris Caesaris ad aures strepet. Sed blandus idem melleos promet sonos; Hac versipellis arte succussus cadet.	380       385
Phae.	Fascēs remotos, regimen imperii, procul A regia Hyllο destinet Caesar; modo Aula exigatur, sceptrā semotus gerat. Fucos honoris atque speciosas procul Praetende formas Caesari; o quantum tua Suadela mentem Caesaris versat potens!	390
Adr.	Calcar furenti figis. augusto e lare Eiectus Hyllus redderet purum diem	

Bizantio, aulae, Caesari, Augustae, mihi. 395  
 Ergo suprema in ausa iam pronus ferar.

### Scena quinta

Phaedrus, Centurio, Leontius, Dioscorus

- Cent. En hic, Leonti, martis Eoi decor  
 Tibi auspicari fausta supremi ducis  
 Praegestit orsa, ludicram pugnam dabit  
 Armis amicis consonam rythmo cohors. 400  
 Proludet hic tua proelia et palmis tuis  
 Protendet omen, rythmicus pugnae fragor.
- Leo. Sequantur omen astra. plaudentis iuvat  
 Spectare pubis ludicra et primos simul  
 Libare flores indolis; nostro altius 405  
 Defixus animo vester hic ardor manet.
- fit ludicrum.*  
*abit chorea.*
- Leo. Generosa pubes, dexteram ad palmas para,  
 Para ad triumphi lauream invictum caput.
- Phae. Augusta fervet, aestuat, cunctas ruit  
 Audax in artes, queis ab Augusti auribus 410  
 Deturbet Hyllum; Phoebus haud clarus sibi  
 Affulget, hoc ni regiam purget probro.
- Dio. Expers timoris nec mihi assurgit dies,  
 Dum regnat Hylli gratia.
- Phae. Adrastum quoque  
 Ad hoc fatigat Domina; sollicitat prece 415  
 Achatium, qui primus Eois sacra  
 Dat iura populis. urget, instigat, premit,  
 Artes ut Hylli frangat atque aulam levans  
 Hyllo repulso reddat Augustum sibi.  
 Et tu, Leonti, iunge conatus; cie 420  
 Plenos avorum spiritus, plenos tui.  
 Zenonis aures obside atque Hylli catus  
 Retunde murmur, hoc tua inculcat salus.
- Leo. Mihi atque Dominae haud deero; moliri iuvat  
 Extrema cuncta, forte si pestem Stygis 425  
 Queam sub Orcum trudere. Augustae interim

- Hoc defer unum, Phaedre: ne fidat nimis  
Olethriae nec intimum pandat sinum.
- Phae. Monebo. nunc Augusta, ne quis literas,  
Quibus latentem creditis mentem invicem, 430  
Oculatus Argus luce furtiva legat,  
Hoc literarum tractibus scriptum novis  
Tibi schema tradit, unde, quam quisque exprimat  
Fictus character literam, clare patet.
- Leo. Hac arte fraus decipitur, ut, dum per nefas 435  
Ius literarum frangit, illudat sibi.  
Supplex amoris osculor pignus novum  
Dominaeque dextrae gratias impar ago.

### Scena sexta

Zeno, Adrastus

- Zeno Famulata semper Caesari Adraſti fides,  
Semper vel ipsa purius candens nive 440  
In liberos prorumpat audacter sonos.
- Adr. Me, Caesar, aulae stimulat augustae decor  
In te redundans, liberum si quid loquar.  
Hyllum pavescit, regiam quisquis terit,  
Et suspicaci semper obtutu cavet. 445
- Zeno Quid suspicatur?
- Adr. machinas, technas, dolos.
- Zeno In falsa turpe labitur; potius sibi  
Hyllus cavere cogitur ab aulae dolis  
Hyllo invidentis. carpitur semper fremens  
Hoc aula vitio; principis si quem favor 450  
Blande intuetur, publicae ut fraudis fabrum  
Torvo intuetur lumine atque aulae scelus.
- Adr. An aula tota fallitur?
- Zeno mentem tenes  
Totius aulae? multa fucato illinit  
Colore livor, plurima in peius trahit 455  
Linguae libido; multa deblaterat mera  
Fandi voluptas, verane an falsa inscia.  
Terretur umbris aula larvarum ferax.
- Adr. Vmbras ab Hylllo pavida cur solum trahit?
- Zeno Vmbrae sequuntur altius semper caput. 460
- Adr. Hylline solum sustulit virtus caput?

Zeno Sustollit alios forsitan et Hyllum magis.  
 Adr. Auguste, palpat Hyllum.  
 Zeno   haud palpat fides.  
 Adr. Palpat dolose.  
 Zeno   dissonant fraus et fides.  
 Adr. Speciosa semper ora mentitur dolus.                       465  
 Zeno Speciosa semper invidus vertit probro.  
 Adr. Nil me invidentem Caesaris reddit favor.  
 Zeno Nil te invidentem, plurimum ast aulam reor.  
 Hic Hyllus, aula quem sibi horrescit, sibi  
 Formidat aulam gravius et quaerit procul                       470  
 Exilia ab aula. vix ab incepta fuga  
 Hyllum retraxi nuper; ut sistat gradum,  
 Aegre coegi precibus, imperio, minis.  
 Appetitur Hyllus, crede, non alios petit.  
 Adr. Infusa in ima viscera hanc aulam fovet                       475  
 Animatque tua mens, Caesar; hinc solus potes  
 Attemperare congruas aulae vices.

### Scena septima

Zeno, Achatius

Ach. Vrbs laeta plaudit Caesari et faustas agit  
 Grates Tonanti; nomen et laudes sonat  
 Zenonis amplum voce confusa forum.                       480  
 Iam milites in gaudia effusi, prope  
 Insaniam tripudia bacchantes agunt  
 Et Nestoris precantur Augusto dies,  
 Quod inclytum virtute, consilio, fide  
 Leontium praefeceris bello ducem.                       485  
 Zeno Plaudentis urbis omen amplector libens.  
 Commune votum sospitat semper Polus.  
 Ach. Haec prima laus regnantis attollit caput,  
 Si nempe virtus munia et honorum notas  
 Dispertiat, non gratia et caecus favor.                       490  
 Praefulget in Leontio virtus, fides  
 Et martis usus longior, recti ac pii  
 Invictus ardor, prompta in adversis manus,  
 Cauta in secundis. Zeno, tu solus potes  
 Leontio praeire, sed cunctis praeit                       495  
 Leontius, qui Caesaris dextram levet.



- Zeno Te digna verax loqueris et nostris, Pater,  
Iucunda votis. gratius nullo fruor  
Laudis tributo, quam quod unanimis gerit  
Consensus orbis, quando selectos probat 500  
Mecum ministros; iuncta sic membra et caput  
Vitale robur publico aspirant bono.
- Ach. At quam libens Leontio urbs gestit duce,  
Tam torva in Hyllum lumina obvertit, tua  
Faede tumentem gratia; hunc aulae vocant 505  
Labem, Charybdim, gurgitem, voraginem.
- Zeno Invidia false turgida haec iactat probra  
Semper perosa, quidquid excellit supra  
Vulgare specimen; Hyllus Augusto patet  
Plusquam tot Argis livida infectis lue. 510  
Mihi vivit Hyllus, non sibi et semper meo  
Ex ore sensa, spiritum, vocem trahit.  
O quam beatos aula numeraret dies,  
Si quos foveret aulicos Hyllus pares!

## Actus tertius Scena prima

Dolon, Hyllus

- Dol. Adhuc quid haeres? ambigis? tempus fugit,  
Insiste caeptis, Hylle, dum Caesar calet. 515
- Hyl. Incertus animi pendeo, an Phaedrus ferat  
Has literas Leontio, an nostra quasi  
Praeoccupatas arte Zenoni offeram.
- Dol. Si tute defers Caesari, tricas subis; 520  
Faciemque turpem praeferet per te dolo  
Papyrus intercaepa. quin audax nimis  
Posset videri facinus, augusta manu  
Scriptam abstulisse paginam; semper subest  
Suspicio, cum quid insolens fraudes gerunt. 525
- Hyl. At si ferat Leontio has Phaedrus notas,  
Quae vis dolusve ex unguibus tandem extrahet?
- Dol. Zenonis ardor impotens; quod si neget  
Leontius, iam fraude se nectit sua,  
Speciemque veri capiet oclusum scelus. 530  
At non ab istis hauriat Caesar notis  
Plenum venenum, semper hinc aliquid doli  
Olere poterit; efficax virus bibat  
E pagina, qua paribus inscripta notis  
Leontius responsa ad Augustum dabit. 535  
Vxoris illhinc scelera reflexo quasi  
Ictu remissa fortius Zeno hauriet,  
Nec umbra nec suspicio se miscet dolo.
- Hyl. Subis medullas fraudis; intrepida fide  
Creditur amicis crimen expressum notis. 540  
Has ergo Phaetro literas affer citus,  
Leontio quas nomine Augustae ferat.  
Adibo et ipse Caesarem.
- Dol. siste. hic adest  
Caesar; choraeam Caesari et plausum dabit  
Novi ducis selectior ephebum cohors. 545

**Scena secunda**

Legatus Aegypti, Zeno

- Leg. Aegyptus ad te supplices tendens manus,  
Caesar, ministrum poscit ad fasces novum  
Zenone dignum, mente qui plenus tua  
Pater Canopum foveat et Praeses regat.
- Zeno At quem Canopus maxime ex Avia petit? 550
- Leg. Hyllum petit prae caeteris: Hyllus tuas  
Edoctus artes paene te secum geret.  
Augusta et Hyllum comprobat; laudat viri  
Consilia, vastum pectus et fortem manum.
- Zeno Regat puellas uxor, haud populos regat. 555

**Scena tertia**

Zeno, Hyllus

- Zeno Adeste, flores puberum et martis vigor:  
Spectare vinctos barbito saltus iuvat  
Novumque fausto prosequi auspicio ducem.  
*fit choraee.*  
*abit chorus.*
- Zeno Generosa virtus, indolis et ardor placet.
- Hyl. Tuam hic remotis arbitris aurem peto 560  
Ad parva, Caesar; parce, si est audax amor.
- Zeno Absistite. huc accede, quid praefers novi?
- Hyl. Heu, Caesar! horror abstruit voci viam.  
Heu, Caesar! heu, quae cogor infanda eloqui!  
Cur hos in usus lumina et fauces meas 565  
Servas, Olympi rector? ah, cur non prius  
Tentum trisulca memet absumis face?
- Zeno Exprome, quidquid horridi pectus quatit.
- Hyl. Meam dolose digeri cladem ratus 570  
Tentare latebras conor Augustae in sinu,  
Olethria laxat claustra: quas Leontio  
Ariadna signis literas scribit novis,

- Exscribit atque hac pagina expressas refert;  
Legi, sed - heu me perditum! - contabui.
- Zeno Tuamne caedem fraude conducta struunt? 575
- Hyl. Vtinam meam nefandus in caedem furor  
Saeviret! infra sceleris humani modum  
Delinqueret perfidia, sed alium sitit  
Scelus cruorem. lingua detrectat loqui.  
Heu! tute, Caesar, consule infames notas. 580
- Zeno *legit epistolam:*  
'Mea lux Leonti, cordis hic nostri cape  
Aperta sensa; scripsit haec ardens amor.  
Sum, Zeno, tua nox perfida.'
- Hyl. et quid tetrius.
- Zeno 'Audere praestat: marcet imperii vigor;  
Dant iura vis, libido, cupiditas, favor. 585  
Augusta Zeno sceptrum gestator movet,  
Non rector orbis; Hyllus imperium regit.'
- Hyl. Heu Cerberi latrantis horrendos sonos!
- Zeno 'Vix ipsa nudum nomen Augustae gero,  
Sed re superbo cogor imperio premi 590  
Dominantis Hylli famula, regnantum probrum;  
Dominantis Orci famula, Zenonis probrum.  
Si nostra, si te publica impellit salus,  
Vires ad ausum nobile et temet cie.  
Hanc ipse tabem tolle: Zenonis cruor 595  
A te profusus abluat faedam luem.'
- Hyl. Horresco; cor gelascit, et virtus labat.
- Zeno 'Tu dignus aulam Caesar et solium occupa,  
Te noster ambit coniugem augustus torus.' 600  
Abominanda, perfida, immanis fera,  
Haec volvere animus, scribere haec ausa est manus?  
'Tempus locumque caedis et fraudis modum  
Signabo quam strox certius; vastum interim  
Assume pectus regia maius. vale.'
- Nupsi Megaerae, Gorgoni, Arpyae Stygis, 605  
Cum tibi, Ariadna, nupsi; Avernalem facem  
Nostris Erymnys pronuba hymenaeis tulit.  
Haec Zeno de te meruit! huc tandem flagrans  
Evasit aestus, ut meum sceptrum et torum  
Pretio cruoris impio vendas mei? 610  
Sed cur querelas perdimus? ferrum, faces,  
Venena poscit uxor, ut mutet torum,  
Sed in feretrum nupta Tartareo duci.
- Hyl. Siste, Imperator: insolens, atrox nefas  
Nondum patescit; forsan Olethriae dolus 615  
Mentitur hoc exemplar. Ariadnae prius

- Spectare par est paginam, signum, notas;  
 Res agitur extra fraudis humanae vias.  
 Cautè et coacte, paene violenter fides  
 Vix est habenda crimini; noctis vapor 620  
 Per fraudis artem migrat in solis iubar.  
 Zeno Sistamus. at praesagit hoc pectus nefas.  
 Sistatur hic Leontius, promat dolos.  
 Hyl. Dolos vocatus occulet.  
 Zeno per vim extraham.  
 Hyl. Et saepe vis eluditur.  
 Zeno tortus cadet. 625  
 Hyl. At crimen eo cadente se claudet magis.  
 Zeno Quid ergo agendum?  
 Hyl. lenta rem prodet mora:  
 Mox execrandis perfidae Ariadnae notis  
 Leontius responsa per Phaedrum dabit.  
 Responsa Phaedri ex unguibus furtim cape; 630  
 Leontii inde sensa et uxoris simul  
 Expressa signis certus in lucem trahe,  
 Iisdem binas cassibus capta feras.  
 Zeno Mentis sagacis providum ductum sequor.

### Scena quarta

Phaedrus, Leontius, Dioscorus

- Phae. Hanc tibi Ariadna porrigi per me iubet 635  
 Rite obseratam paginam Augustae nota.  
*interpretetur aenigma.*  
 Leo. Aenigma signat paginam; sed quid sonet?  
 Interpres haec docebit.  
 Dio. interea refer,  
 Quid Hyllus et quid Zeno praetendant novi.  
 Errant per ora nubila? an sudum micat? 640  
 Phae. Nubes oberrant nec procul nimbos notant.  
 Sed astra in Hyllum torqueant nimbos truces.  
*abit Phaedrus.*  
 Dio. Sed cur, Leonti, contrahis sontem? tremis?  
 Pallescis? haeres? paene languescens stupes?  
 Halantne pestem literae aut Nessi malum? 645

- Leo. Atrociora fulminant; heu, me pudet  
Legisse carmen. faemina est quoddam chaos  
Scelus omne miscens, astra confundens Styge.
- Dio. Age, impudentis paginae carmen refer.  
Aures amicas consulit adurgens malum. 650

### Scena quinta

<Leontius, Dioscorus, Achatius>

*Superveniet Achatius.*

- Dio. Sed tempori huc Achatius gressum movet.
- Leo. Huc te benignum compulit Coelum, Pater:  
Inopina me procella transversum rapit,  
Me paene vortex sorbet.
- Ach. haec dextra, hic cruor,  
Quocunque poscat usus, accurrent tibi; 655  
Sortis flagellum comprobat amicam fidem.
- Leo. Supplex Patronum veneror et dextram osculor.  
Per has latenti aenigmate offusas notas  
A me nefanda, horrenda, scelerata, impia  
Augusta poscit, nempe ut Augusto necem 660  
Faedus lanista moliar, et sceptrum mihi  
Et coniugalem - proh pudor - spondet torum,  
Vt impiatum syrma Zenonis traham;  
Preces ad hoc profundit, obstringit fidem  
Et me lacescit, stimulat et praeceps rapit. 665
- Ach. Augusta, flos pudoris et laus et decor  
Muliebris una nominis tanto ruit  
Repente lapsu?
- Dio. mulier est quiddam leve,  
Instabile, varium, mobile, haud constans sibi.
- Leo. Quo nunc revolvar? fluctuo, et turbo minax, 670  
Quocunque vertor, in meum surgit caput.
- Ach. Quid, si neges responsa sceleratis notis?
- Leo. In odia spretus solvitur vecors amor.
- Dio. Quid, si malignas Caesari prodas notas?
- Leo. Amantis et faventis, heu, prodam fidem! 675
- Ach. Qui proditorem prodit, haud prodit fidem.
- Leo. Prodam, mihi dum scepra, dum tradit torum?
- Ach. Zenonis eadem scepra, Zenonis torum.

- Leo. Sit perditus amor, est amor; laedi est nefas.
- Dio. Quid? te licet silente, prodibit scelus. 680
- Leo. Silente me, non proditore, prodeat.
- Ach. Te proditorem Caesari damnas silens.
- Leo. Quidnam silens nocebo?
- Ach. quod sileas, noces.
- Leo. Non patitur animus prodere Augustae scelus.
- Ach. Prodetur, et te Zeno proh quantum premet! 685
- Leo. Aliunde si prodatur, innocuus premar.
- Dio. Qui cum rebeli rem tegit, noxae favet.
- Leo. Avernus in me Dite diffracto ruat,  
Tacebo, crimen cordis occludam sinu;  
Et Zeno me discerpat, excruciet, cremet. 690
- Dio. Haec si libido pertinax mentem tenet,  
Rescribe, sed quod deceat intactam fidem.  
Zenonis animos, studia, consilia et manum  
Addicta semper coniugi ad Coelum evehe.  
In te tuique nominis pronam decus 695  
Attolle dextram; placidus Augustae truces  
Leni furores, muneri haud tanto parem  
Temet fatere, supplices grates age  
Augustae amori. temere te, maius tua  
Virtute facinus posse moliri, nega. 700
- Ach. Si tantus horror comprimit vocem tibi,  
Ne Caesari rem deferas, Dioscorum  
Laudo monentem. digna virtutis manu  
Responsa Dominae redde; pietatem, fidem,  
Obsequia, cultum Caesaris spirent notae. 705  
Repelle dona, sed simul supplex pete  
Veniam repulsae, sprete ne peius furat  
Augusta; vulnus semper infligit grave  
Doni repulsa. te reluctanti fide  
Monstra coactum; scribe, quae candens fides 710  
Rescriberet. quin Caesari visu puta  
Clare intuendum, quidquid his scribes notis.
- Leo. Parebo monitis. interim Coelum, Pater,  
Sancte fatiga precibus, ut menti iubar  
Divino ab ore fundat et pectus regat. 715

### Scena sexta

Dolon, Hyllus

- Dol. Olethria nostros arte praevertit dolos;  
 Novi recudit aliquid, ut structae necis  
 Zenonis animo fortius inurat fidem.  
 Nam turri ab alta flammeas scribet notas  
 Aenigmatis, quod nempe iam Caesar tenet, 720  
 Has fraude simulans porrigi Augustae manu,  
 Arcana quo Leontium quamvis procul  
 Tuto alloquatur luce facundae facis.
- Hyl. Miror dolosae faeminae pectus sagax.  
 Dol. Has tu coruscas Caesari monstra notas; 725  
 Pestem loquentur, unde Zenonis furor  
 Exasperetur acrius. princeps adest.

### Scena septima

Zeno, Adrastus, *et postea* Phaedrus

- Zeno Adesse Phaedrum, ductor, actutum iube.  
 Quod nunc, Adraste, regiam versat scelus?  
 Est Hyllus an Leontius, caedem meam 730  
 In quo reponit perfidae uxoris favor?  
 Nemo innocenti credit infandum nefas;  
 Nec spes nocendi sistit, ubi perstat fides.
- Adr. Adulterinam suspicor adhuc paginam.  
 Zeno Adulterae ipse paginam veram reor. 735  
 Adr. Haec uxor in te, Zeno? si spectem, negem  
 Spectasse facinus; et meos visus Stygis  
 Vapore pressos fascinum credam pati.
- Zeno Quod cantat haec papyrus, est Orci vapor?  
 Est haec in Orco scripta? an uxoris refert 740  
 Sensus, medullas, viscera et, quidquid cupit?
- Adr. Et fors an Orci paginam scripsit nigror,  
 Aut fraus et ars Olethriae; hic nulla est fides:  
 Non annulum, non tueor Augustae manum.
- Zeno Quod non tuetur visus, heu, verax nimis 745  
 Praesaga mens praevertitur. par est tamen,



- Vt animus anceps titubet et nutet fides,  
Donec latentis virus erumpat doli.
- Adr. At ecce Phaedrum.
- Zeno redde veraces, puer,  
Voces petenti Caesari.
- Phae. hoc Phaedrum decet. 750
- Zeno Num literas Leontio per te dedit  
Ariadna nuper?
- Phae. assero. Olethriae manu  
Mihi traditas et rite signatas dedi.
- Zeno Praesagiis initia respondent meis;  
Vtinam reclamant exitus! at tu imprime 755  
Haec iussa menti, Phaedre: quam reddet tibi  
Leontius mox paginam, Augustae ut feras,  
Ad me citato praepes huc defer gradu.  
Haec iussa cordi conde et elinguis sile.  
Mutire si quid audeas, paenam lues. 760
- Phae. Tua iussa, Caesar, obstruent voci viam;  
Iniuncta mutus exequar fidei memor.

### Scena octava

<Zeno, Adrastus, Hyllus>

*Hyllus supervenit.*

- Hyl. Resiste, Caesar. testis oculatus tua  
Spectabis hic dedecora: mox e culmine  
Turris flagrantes uxor attollet notas, 765  
Quibus suam Leontio mentem explicet.
- Zeno Flamma loquaci scribet absenti notas?
- Hyl. Conducta nempe symbola ardenti face  
Formabit alta e turre; sed visus, age,  
Sustolle, Caesar: famma splendescit loquax. 770
- scribitur flammis hic versus:*
- Zeno 'Rescribe, ferrum potius an virus probas?'  
Est certa caedes; quaeritur solum modus,  
Quo Zeno pereat. virus an ferrum probas?  
Vtrumque utrique, virus et ferrum inferam  
Et coniugi et Leontio. haec tandem vides, 775  
Haec monstra, Zeno? tam novum scripti scelus  
Addiscis ad tua funera? elementis tua

Patrandae caedes scribitur. non sunt satis  
Chartae; fit aer pagina ad nostram necem,  
Fiunt et atramenta nocturnae faces.  
Sed mitte questus. vindicem dextram para;  
Leontii responsa mox pandent scelus.

780

## Actus quartus Scena prima

Phaedrus, Zeno, Adrastus, Hyllus

- Phae. Ad tua revolvor iussa; munitam sui  
Hanc syngropham Leontius signi nota  
Dat nuper, ut latenter Augustae feram. 785  
*Phaedrus abit.*
- Zeno Laudo obsequentis impigram Phaedri fidem,  
Arcana cerno signa.
- Hyl. concordant notis,  
Quas noster index explicat. Coelum favet.
- Adr. Hic nullus error, nullus hic fucus subest;  
Sed clara certum veritas spargit iubar. 790  
Hic mens iacet Leontii, Augustae hic iacent  
Consilia amico credita; et puram tamen  
Adhuc malignae labis Augustam reor.  
Praecelsa virtus vertice in summo sita  
Non derepente tota, paulatim labat. 795
- Hyl. Speciosa doctus disputans, nugae agis.  
Ariadna aperto in crimine deprehensa hic patet.
- Zeno Ad haec reservas pupulas sortis furor,  
Mea opprobria, mea dedecora, sordes meas  
Vt ipse teste hoc sole pudibundus legam? 800  
Sed quo pudore squalleas, Aether, solum.  
Et Styx et astra, audite Zenonis probra;  
Tuaeque praeco infamiae Zeno horreas.  
*legit epistolam:*  
'Portenta amoris veneror et pronus paris  
Flammae tributum defero, sceptri ac tori 805  
Augusta dona supplici obsequio colam.  
Sed animus impar munus haud tantum capit;  
Dominaeque famulus serviam, haud Caesar regam.'  
Audin', Adraste, munera insontis nurus?  
Sceptrum fides, torumque promittit pudor. 810
- Adr. Taedet pudetque me mei; horresco, fremo.
- Zeno Audi, magis pudebit, horresces magis:  
'Zenonis in me prodiga semper manu  
Se flexit animus, semper ad nutus tuos  
Pronus pependit. omen avertat Polus, 815

- Zenonis ut Leontius laedat caput.  
 Heu, fracta rerum iura! me coniux necat,  
 Famulus tuetur. sola num coniux? amor,  
 Quies, voluptas, cura Zenonis fuit  
 Ariadna, mecum vel supra me ius dedit; 820  
 Cuicunque libuit, decora, fortunas, opes  
 Large profundit. si potes, monstra semel  
 Me, me obsequentem frigide votis tuis.  
 Et nunc meo cruore fumantem torum  
 Tractare gestis excetra? et nostrum supra 825  
 Bustum paras Leontio ad sceptrum viam?
- Hyl. Revelle mundi cardines, rector Poli,  
 Confunde rerum iura, naturam abrue;  
 Me dissipa, me absume. quid vitam traho  
 Ad tam nefanda generis humani probra? 830
- Adr. Inanis umbra, stipes an potius stupor?  
 Hic asto, larvas inter et somnos vigil;  
 Muliebre tandem disce vipereum genus.  
 Virtutis expers fucus et fallax color  
 Se venditant in faemina et falsum micant. 835
- Zeno Ingrata coniux! tanta per venas flagrant  
 Zenonis odia, dum tui tanto calet  
 Amoris aestu? mene tranfossum cupis,  
 Leontius quo regnet! o fallax amor,  
 O spes dolosa, perfidi o risus lepor, 840  
 Sub coniugali nectare hanc pestem paras!  
 Abiuro, quidquid coniugum stringit fidem.  
 Detestor omne fas maritalis tori,  
 Migro in Cerasten; exuo, abiicio virum.  
 Sugam cruorem coniugis, vitam hauriam, 845  
 Cor impudicum dente Cerbereo teram;  
 Saturabo amorem proditum digna dape.
- Hyl. Muliebre nomen execror: quidquid pium,  
 Sanctum, Tonante exaestuans, Coelo tumens  
 Muliebris efflat sanctitas, sordes, dolos, 850  
 Larvas nocentes Tartaro emissas reor.
- Adr. Iam paene caedis fateor Augustam ream  
 Et vindicem devoveo, si Caesar iubet,  
 Iustos ad ictus dexteram. sed quid nocet  
 Prius Ariadnae literas caeco e sinu 855  
 Leontii extorsisse, quo certum scelus  
 Adhuc patescat clarius solis face?  
 Quo tardior furit ultio, eo gravius furit.
- Zeno Moram recusat causa, sed demus moram.

**Scena secunda**

Hyllus, Dolon

- Hyl. In lenta languet odia Zenonis tepor;  
Non aestuat, non fervide ardescit furor,  
Nondum cruoris rabida fervescit sitis. 860
- Dol. Fraus haec tonat, non fulminat. noster labor  
It in fragorem totus, haud ictu ferit.
- Hyl. Moras Adrastus nexuit.
- Dol. et Hyllus moras 865  
Diffringat omnes, subdat Augusto faces.
- Hyl. Res est pericli plena: decertant adhuc  
Amor furorque in coniugem; si quid nimis  
Zenonis iras ventilo, cavebit magis.  
Parce et per astum Caesaris nutans dolor 870  
Est refricandus, sponte ut in rabiem ruat;  
Si durius pungatur, in calcar furit.
- Dol. Petatur ergo Zeno, sed, qua te decet,  
Vtaris arte; sortis observa vices  
Et aptiores tempori formas cape. 875

**Scena tertia**

Leontius, Dioscorus, Phaedrus

- Leo. Caligo, nubes, noctis infernae vapor  
Arcana mentis occupant. Hylli dolus  
Mihi subolet sub pagina Augustae latens.
- Dio. In literarum viscera Augustae annulo  
Signata quodnam poterat intrudi scelus? 880
- Leo. Nil est dolis impervium, clausum nihil.  
Quaerenda lux est: alloqui Augustam iuvat.
- Dio. Adire praestat. saepe inextricabilis  
Figmenta fraudis dissipat vocis sonus.
- Leo. Phaedrum ciamus.
- Dio. hunc ego accersam celer. 885
- Leo. Veri, Patrone, corda qui solus subis,  
Affunde lucem, discute umbrarum chaos,  
Ne mole fraudis opprimi insontem sinas.

*venit Phaedrus.*

- Phae. Paucisne, Phaedre, liceat Augustam alloqui?  
 Phae. Severus aditum Zeno ad Augustam vetat. 890  
 Leo. Quae causa? nostin'?
- Phae. causa me prorsus latet.  
 Leo. Meamne tenuit paginam Augustae manus?  
 Dio. Quis tunc in illa visus est oris tenor?  
 Leo. Taces? profare, Domina quo vultu stetit?  
 Phae. Quo tua tuetur.  
 Dio. heu, quid insolito labat 895  
 Tua vox tremore?  
 Leo. variat in vultu color;  
 Volensque fari, lingua retrorsum fugit.  
 Phae. Ignota vultin', eloquar?  
 Dio. numquid dabas  
 Caecus papyrum?  
 Phae. capite demisso dedi.  
 Dominam vereri frontis obsequio decet. 900  
 Dio. Deludis, istic insolens quiddam subest.  
 Leo. Rem pande, Phaedre; quidquid expromes, sinu  
 Condemus ambo, sanctaque occludet fides.  
 Phae. Quid ipse promam nescius?  
 Leo. non est tuum  
 Caelare amicos, tegere quod vultu nequis. 905  
 Phae. In me secures expedis cogens loqui.  
 Leo. In nos prius vibrentur; en, sancte fidem  
 Vovemus. adsit arbiter veri Deus:  
 Quidquid loqueris, corde tumultum geram.  
 Phae. Fabor: rapaci Zeno violentus manu 910  
 Excerpsit a me literas ira tumens,  
 Quas tute Dominae scripseras. ferrum, faces  
 Mihi minitatur efferus, si quid loquar.  
 Gressum retorsi stupidus, elinguis, tremens.  
 Nunc vestro, amici, ab ore mea pendet salus. 915  
 Leo. Devota Coelo comprimit linguam fides.  
 Abi tui securus et cautus sile.

*abit Phaedrus.*

Heu, si latentes Caesar arcanis notis  
 Sensus malignos eruat! Numen, veta.

**Scena quarta**

&lt;Leontius, Dioscorus, Achatius&gt;

*Supervenit Achatius.*

- Ach. Quam spirat auram regia? et quales agit  
Augusta motus? 920
- Leo. ruimus in clades, Pater.  
Quas ipse Phaedro literas nuper dedi  
Dominae afferendas, Zeno praereptas tenet.
- Ach. Heu, quam timebam, rapitur ad syrtem iatis!
- Dio. At insolens aenigma Zenonem latet. 925
- Ach. Olethria explicabit, aut per vim exprimet  
Ex te, Leonti, paginae veros sonos.  
Regum potestas nititur in umbras, subit  
Violenta latebras, patitur oclusum nihil.
- Leo. Inter pericla distrahor; quidquid sequor,  
Sequor procellas: taceo? me prodo reum.  
Loquor? Ariadnam damno. si capto fugam,  
Fuga ipsa crimen arguit. semper reus  
Damnabor, insons nec mea noxa nocens.
- Ach. Cum multiplex nos obsidet et angit malum,  
Minus sequamur. Caesarem supplex adi  
Veniamque posce, sero quod pandas nefas. 935
- Leo. Egone Ariadnae perfidus pandam scelus!
- Ach. Quid perfidus? sat Caesari coniux patet.
- Dio. Iam te silente literae crimen canunt. 940
- Leo. At me loquente pondus accedet novum.
- Ach. Tantone sceleri ponderis quidquam dabis?
- Leo. Meo inquinari sibilo Augustam pudet.
- Dio. Sat illa sordet; si taces, sordes trahis.
- Ach. Si loqueris, expers sordis Augusto micat. 945
- Leo. Reposcet a me Caesar uxoris notas.
- Ach. Solum reposcet? rapiet et per vim abstrahet.
- Dio. Et admovebit, si neges, ferrum, faces.
- Leo. Me perditum! quo evasit Augustae favor!
- Ach. Moras, Leonti, rumpe; Zenonem pete  
Vltro, priusquam te furens vinculis trahat.  
Offer Ariadnae literas; quidquid subest  
Clausum sub illis, prome. sic extra scelus  
Se tua probabit Caesari atque aulae fides.
- Dio. Huc Zeno tendit. perage, quod tempus monet. 955

## Scena quinta

Zeno, Leontius, Adrastus

- Zeno Ades, Leonti; triste quid vultu geris?
- Leo. Horrenda, misera, turpia et, quae me pudet  
Proferre in auras.
- Zeno heu, nimis longas moras  
Tuus iste, amice, protrahit mutus pudor.
- Leo. Silentii me fateor et damno reum. 960  
Heu, sceleris horror surripit menti diem,  
Cupidamque fari praepedit linguam timor.  
Sed iam pudorem fregi et excussi metum:  
En literas, quas signat Augustae annulus;  
Novis notarum ductibus claudunt scelus, 965  
Quod tibi in apertam, si iubes, lucem traham.
- Zeno Tam sero pestem revomis? haec amor, haec favor,  
Haec Zeno de Leontio? hanc tabem diu  
Sinu recondis, concoquis, versas, foves?  
Responsa paribus perfidae reddis notis 970  
Zenone prorsus inscio? quamvis levem  
Fraudis susurrum principi defert fides.  
Tu tanta mutus crimina Augusto tegis?
- Leo. Damna moras, Auguste; ne damna fidem. 975  
Quid mea recondant viscera, Augustae data  
Responsa promant: vivo ardentem tui  
Amore flammam senties. faedas preces,  
Nefanda dona, fortis insultum spei  
Quanam repulsa respui, quamam fuga?  
Num flexit animum purpurae et sceptri decor? 980  
An aestuantis blandior amoris faces  
Excepi? et acres impetus lentus tuli?  
Non obstiti? non horruui? et quanta potest  
Ardere flamma, non mea exarsit fides?
- Zeno Arsisset illa Caesar expansis dolis. 985
- Leo. Nondum probatum crimen in lucem darem?
- Zeno Scripto probatum.
- Leo. forte mentitis notis.
- Zeno Aenigmata haec arcana sat crimen probant.
- Leo. Si res agatur summa, cunctando proba.
- Zeno Si res agatur, summa properando refer. 990
- Leo. Linguam revinxit angor, et terror pedem.
- Zeno Stimulasse utrumque nostra debuerat salus.
- Leo. Cur, si periculo proximum urgebat nihil?



Zeno	Semper periculo est proximum uxoris scelus.	
Leo.	Deferre praeceps nolui uxorem viro.	995
Zeno	Caelare amantis penitus optabas dolos. Te criminis contagio faedat satis, Quod criminis sis particeps. aptus malo Malus putatur. nemo sceleratam probo Mentem relaxat. te sibi ascivit parem	1000
	Fraudis ministrum perfida; et quamvis, vafer, Verbo repulsam dederis, interno tamen Calore nostrum tectus exitium coquis. Abscede, versipellis; et vecors caput Involve latebris, regiae lucem fuge	1005
	Meosque visus, coluber, aeternum cave.	
Leo.	Qui corda lustrat, adsit insonti Deus.	
Zeno	Hunc ergo, lictor, amove insontem nimis. Quid nunc, Adraste? clarius Titan flagrat. An coniugis molimen? id clamant notae	1010
	Flammis loquentes, symbola id certo canunt, Leontius fatetur, est anceps nihil.	
Adr.	Quamvis renitar, cogor Augustam tamen Damnare fraudis; nam quis errorem color Fucare possit? crimen obtutus ferit;	1015
	Et crimen ipsa paene contrectat manus. Quod recta monstrat ratio, quis sanus neget?	
Zeno	Hanc ergo tabem, quae latens virus vomit, Delere praestat; quidquid in aperto nocet, Vitatur; at quod viscera arrodit, necat.	1020
	Dolose agentem fraude captemus pari. Vxor latenter construit caedem viro; Et vir latenter peragat uxoris necem. Te nunc, Adraste, Caesaris adorat salus	
	Tuamque nostros impigram ad nutus fidem;	1025
	Si quid mea unquam gratia Adrasti manus Est ausa, nunc ad grandius promptas opus Vires fidelis exerat et audax ruat.	
Adr.	Vires, manum vovemus et, quidquid sumus.	
Zeno	Excipio votum; sedulam amplector fidem.	1030
	Hac nocte, gravius quando mortales premant Somni vapores, tacitus et leni gradu Adi cubile perfidae Ariadnae et necem Infer iacenti; iaceat aeternos trahens Confessa somnos, inde Zenonis necem	1035
	Leontio demandet et scriptam suo Cruore ab ima sygrapham mittat Styge.	

- Adr. At quis recludet intimum ad thalamum viam  
Custode saeptum plurimo? si vim afferam,  
Ad arma res prorumpet, et solus premar. 1040
- Zeno Non vis nec arma proderunt: solum mihi  
Secretus aditus Cochleae augustae datur  
Ab horto in aedes coniugis; clavem, fores  
Quae laxet usus ad meos, solus gero.  
Hanc sume, tacitam pandet ad facinus viam. 1045  
Ne plura texam, tua reluctatur fides,  
Cui mea nosse vota fuit eadem exequi.  
Hoc si peractum dederis, obstringes tibi  
Zenonis animum, gratiam, sensus, fidem.
- Adr. Tua me cupido firmat ac forti manum 1050  
Virtute obarmat; Caesaris iustus dolor  
Fidum ministrum vindici afflatu reget.

### Scena sexta

Phaedrus, Adrastus

- Phae. Adraste, Phaedrus periit: extremum vale  
Tibi et Patrono defero et plusquam Patri.
- Adr. Quis te furor pervasit?
- Phae. Augustae furor, 1055  
Cum senserit Leontii nuper data  
Responsa Phaetro Caesari, haud sibi reddita.
- Adr. Nihil Ariadnam, Phaedre; Zenonem time.
- Phae. Vtrimque metuo, mulier at terret magis.
- Adr. Nil haec nocebit, spondeo certam fidem. 1060
- Phae. Novi, ipse novi, laesa quas iras ciat!
- Adr. Meamne reris, Phaedre, fallacem fidem?
- Phae. Sanctam, innocentem veneror, ac falli potest.  
Et fallitur: mors una me solvet metu.  
Vixi et peregi, quos dedit fatum dies: 1065  
Tria lustra vidi; Phaedre, vixisti satis.  
Quo fugere Dominam restat? effugias tamen;  
Spumans veneno bacchus hanc ornet fugam.
- Adr. Si te paterno, Phaedre, complexus sinu 1070  
Patris perempti semper explevi vicem,  
Has inter ulnas, quidquid est Phaetri, loca.  
Sed quo timorem deleas, audi ac tace:  
Hac nocte somnos inter ac tenebras iacens

Ariadna paenas Caesari optatas dabit  
Perfossa telis. odia morientis times? 1075  
Tibi vive felix, vive Zenoni et mihi;  
Concede mecum, lumina Augustae fuge.

Phae. In te Patroni dexteram et Patris simul  
Veneror amores, paene redivivus tuo,  
Adraste, dono redditam vitam traho. 1080

## Actus quintus Scena prima

Adrastus, Zeno

- Adr. Tua iussa, Caesar, exitum votis parem  
Tenuere; nostris fossa vulneribus iacet  
Ariadna, fumat sanguine undanti torus.
- Zeno Bene est: cruoris languit nostri sitis.
- Adr. Nulli patescit facinus, et somno obruta  
Augusta mortem sensit ac ferrum simul; 1085  
Nam cuncta caecus texerat noctis nigror.
- Zeno Adraste, amicam tende Zenoni manum.  
Stringo perenne foedus: imperii reget  
Haec dextra mecum lora; si leges dabit 1090  
Zeno, secundus Caesari Adrastus dabit.
- Adr. Servire iusso Caesaris meta est mei  
Suprema voti; dum iubes, sceptrum gero.
- Zeno I nunc Erymnys regiae, i sponde toros;  
Augusta vende syrmata cruoris mei 1095  
Emenda pretio, Caesares mundo crea  
Et sub profundam mitte Zenonem Styga.  
Iaces, iaces confossa; desponsus torus  
Apte feretri munus exercet tui.  
Tui cruoris muricem plene hauriant 1100  
Iam destinata lintea ad taedas novas.  
Nunc, Zeno, regnas, scepra nunc Caesar quatis.  
Iam vultur inhians vertici in casses cadit.  
Re nunc peracta, fare, quo vergat magis  
Tua mens, Adraste, coniugi inflictae necis 1105  
Caelare causam, quando iam cunctos latet,  
An crimen una prodere et iustam necem?
- Adr. Luci tenebras praefero. si res fluat  
Per ora vulgi, plurimi Augustam premi  
Livoris arte scelere conficto frement. 1110  
Haec est libido gentium, quidquid gerat  
Princeps, malignam semper in partem trahunt;  
Iam quisque Minos principis iudex sedet,  
Vestigat acta, discutit cordis fibras  
Et, quando latitat causa, peiorem probat. 1115  
Casu peremptam rumor Augustam canat  
Sparsus per urbem; capsula inclusam dabis  
Patrum sepulchro, nobili exceptam pyra.

Zeno Haec cauta profert ratio. quae princeps gerit  
 In luce populi, serviunt famae tubis; 1120  
 Haec publici rumoris ut servus gerit,  
 Occulta vere ut dominus et iuris sui.  
 Me pulla vestis cingat, et cultu pari  
 Pullata funus regia et luctus agat.

## Scena secunda

Hyllus, Dolon, Nuntius

Hyl. Zeno efferatus coniugis caedem parat. 1125  
 At nostra tenui pendet e filo salus,  
 Ex ore nempe faeminae; Olethriam penes  
 Stat summa fraudis. si quod hinc murmur crepet,  
 In nos relapsus aggeret clades dolus.  
 Heu, quid mulieris lubricam vocem obstruat? 1130

Dol. Quod praepedit, ne spiritum fauces trahant.  
 Et vim loquendi Olethriae et nobis metum  
 Satur veneno bacchus extinguet celer.  
 Blandum paretur poculum mortem ferens.

Nun. Maerens amictus lugubres Caesar petit 1135  
 Subitumque carae coniugis fatum dolet.

Hyl. Augusta periit?  
 Nun. et repentino iacet  
 Oppressa letho. fluxit in mortem sopor.  
 Iam nunc Adrastus regiae luctus parat.  
*abit Nuntius.*

Dol. Zenonis icta vulnere occulto reor 1140  
 Augusta cecidit. euge, victrici dolus  
 Palma triumphet; tota iam nostris patet  
 Calcanda plantis aula; iam, nolint velint  
 Tellus et astra, iura regnantes damus.

Hyl. Regnemus; et Leontius ad Orcum ruat 1145  
 Raptamque secum gratiam Augustae vehat,  
 Et aula nostro colla substernat iugo.  
 At nunc, quod unum restat, extinctam comes  
 Dominam sequatur famula; rumpamus moras,  
 Mersam lyaeo protinus mortem bibat. 1150

### Scena tertia

Dioscorus, Leontius

- Dio. Reflecte ferrum, siste. quid properas mori  
 Adhuc inultus? Hyllus hoc poscit, latus  
 Olethriae hoc laccessit: in tales vibra  
 Telum Cerastas. nemo tam plene ac probe  
 Vlscitur quam cupidus actutum mori; 1155  
 Qui cuncta iam desperat, est expers metus.
- Leo. Heu, Caesari cur literas amens dedi?  
 Cur in Ariadnam perfidus fregi fidem?  
 Cur suscitavi sibilo irarum faces?  
 Quas potius hic suppressere debebat cruor. 1160  
 Ariadna vitae stamine abrupto iacet,  
 Et tu, Leonti, perditam vitam trahis?
- Dio. Ah, siste demens; impos est nimium sui,  
 Quicumque inertem vilis instigat necem.  
 Nondum liquet, quo clauserit fato diem 1165  
 Augusta; luctum Zeno praetendit gemens.  
 Quid, si veneno periit atque Hylli dolo?  
 Quid, si maligna tabe? quot casus rotant  
 Vitae, latenti turbine, et mortis vices?  
 Cur ergo mortis prorsus ignotae reum 1170  
 Te facile damnas? cur doles fluxam fidem?  
 Quid? ipse Zeno, quidquid Ariadnae notis  
 Clausum latebat, nonne praesensit prius,  
 Quam te loquentem senserit? quod si mori  
 Tanta est voluptas, non veto; solum moram 1175  
 Reposco ad ictum, certa lux donec micet.
- Leo. Vt lictor in me turpius ferrum vibret?
- Dio. Non opprimit, quem Caesar insontem videt.
- Leo. Insons nocensque principi irato est idem.
- Dio. Te, cum flagrabat pessime, haud laesit furor. 1180
- Leo. Servabat ad peiora.
- Dio. num vinclis ligat?
- Leo. Dissimulat ira.
- Dio. flamma constringi nequit.
- Leo. Vitamne profugus Caesare irato traham?
- Dio. Brevis hora rerum saepe permutat vices.
- Leo. Iam cum cadente concidi Augusta miser. 1185
- Dio. At nosce, cum cadente, quo fato cadas.
- Leo. Sat est cadentem nosse.

Dio. quo certo cadas,  
Non quo cadas inultus.

Leo. ulciscar meae  
In me furorem sortis.

Dio. est misera ultio.  
Hyllo reserva vulnus, hoc telum sacra  
Visceribus Hylli; sanguine impuro calens  
Dein tua retorque in viscera. o qualis fluet  
In tua voluptas vulnera et mortis lepor!

Leo. Nolens reflector. ultio innectit moras.

### Scena quarta

Achatius, Zeno

Ach. Quid iste, Caesar, luctus et tristis tenor  
Cultus et oris? quis dolor pectus ferit? 1195

Zeno Heu, quam repente, Praesul, heu, coniux obit?

Ach. Qua cessit illa tabe?

Zeno dum somnos trahit,  
Laetalis aliquis corda compressit vapor,  
Et me doloris paene consumpsit rigor. 1200

Ach. Vapor malignus coniugem an ferrum opprimit?

Zeno Vis aliqua, opinor, tabidae invasit luis.

Ach. Ne conde telum, Zeno, ne dextram tege.

Zeno Quid telam moras? quid petis dextram, Pater?

Ach. Peracta memoro; quaero, quod caedem intulit. 1205

Zeno Prophana Caesar quaerat, antistes sacra.

Ach. Sunt sacra iura coniugum, his pastor praeest.

Zeno Haec iura ne quis violet, Augustus cavet.

Ach. Nempe innocentem fodiat et fossam gemat.

Zeno Nempe instruentem fodiat Augusto necem. 1210

Ach. Praeceptis in Hylli retia, heu, Caesar, ruis.

Zeno Perfregit Hyllus retia uxoris vafrae.

Ach. Est prorsus insons uxor.

Zeno est prorsus nocens.  
Scriptae fatentur literae.

Ach. Olethriae manu.

Zeno Signavit uxor annulo.

Ach. Olethriae dolo. 1215

Zeno Nil fido verbis; literae firmant fidem.

Ach. Se fraus aperiet. sit tamen coniux nocens,  
 Lex nulla causa damnat indicta reos;  
 An coniugem damnabit? et somno obrutam?  
 Quis expiandis ultimam noxis negat 1220  
 Horam nocenti? criminum vindex Polus  
 Tonat priusquam fulminet. Zeno, prius,  
 Quam quid tonet vel fulguret, fulmen iacis?

### Scena quinta

<Achatius, Zeno, Nuntius>

*Supervenit Nuntius.*

Nun. Vivit supremos spiritus aegre trahens 1225  
 Confossa ferro mulier augusto in toro.  
 Te Caesarem, te Praesulem languens vocat.  
 Zeno Properemus ambo.  
 Ach. Numen insonti fave.

### Scena sexta

Dolon, Hyllus

Dol. Periimus ambo; sola vix restat fuga.  
 Hyl. Augusta num resurgit?  
 Dol. heu, nunquam occidit.  
 Hyl. Non occidit? cui funus Augustus parat? 1230  
 Dol. Nobis parat suspendium.  
 Hyl. avertat Polus.  
 Dol. Olethria iacet saucia Ariadnae loco.  
 Hyl. Heu, fraudulenta Tartara! Olethria occidit?  
 Dol. Vtinam occidisset! fossa, laniata, obruta  
 Cruore fuso vivit et nostros dolos 1235  
 Iam Caesari atque Achatio exanguis refert.  
 Hyl. Quae fraus, quis Orcus vulnera Olethriae intulit?  
 Dol. Suum ad cubile praescia instructae necis  
 Augusta rerum nesciam Olethriam vocat.



- In hanc Adrastus, grata cum serpit quies, 1240  
 Noctis per umbras Caesaris iussu irruens  
 Teloque adortus fodit, Augustam ratus;  
 At non satis peremit, heu stolidum pecus!  
 Spirat, fatetur crimina et fraudes canit.
- Hyl. Adeste furiae, ferte Tartaream facem; 1245  
 Fugamque nostram praebeat ad mundi plagam,  
 Quam sol et astra nesciant. si quid iacet  
 Trans orbis oras, ducite eo nostros pedes;  
 Vel si quod extat, ducite ad priscum chaos.
- Dol. Percipitet Aether, corruant Coeli faces, 1250  
 Rumpatur ira, quidquid in Coelo tonat.  
 Glomerabo semper scelera, disquiram nefas  
 Semper priore peius, aeternum geram  
 Cum iure bellum; quidquid est sancti ac pii,  
 Odiis, furore, rabie inexhausta obteram. 1255  
 Praeibo furiis et colubriferam manu  
 Urgebo vitia; turpia, infanda, impia  
 Ignota Averno crimina docebo Stygem.
- Hyl. Haec reddit aula praemia!  
 Do haec merces datur  
 Fraudum magistris!
- Hyl. recidit in fabros dolus. 1260  
 Dol. In explicatis aucupes haerent plagis.  
 Hyl. Accurre, Pluto.  
 Dol. pande furibundis viam.

## Scena septima

Dioscorus, Adrastus

- Dio. Adraste, mira cernimus: adhaesit suae 1265  
 Olethria fraudi; sed quis instructae sibi  
 Caedis susurrus potuit Augustae illico  
 Deferri ad aures, ut suum blande ad torum  
 Olethriam pelliceret? aeternae colo  
 Mentis pronaeam, quae movet rerum vices.
- Adr. Modo ipse, Coeli non sine impulsu, necem 1270  
 Dominae inferendam detuli Phaedro; hic celer  
 Furtim patrandam retulit Augustae necem.  
 Fugae innocentis Numen hanc pandit viam  
 Vnaque vindex impium oppressit scelus.

## Scena octava

Achatius, Zeno, <et postea> Phaedrus

- Ach. Iuris repertor aequa tutatur Deus  
 Et saepe in ipsum regerit auctorem scelus. 1275  
 Hylli et Dolonis arte contextos dolos  
 Olethria iam retexit et sese ream  
 Vltro fatetur sceleris et noxam dolet  
 Veniamque poscens spiritum tandem expuit.  
 At quod potentem Numinis monstrat manum, 1280  
 Praecisa guttur non prius poterat mori,  
 Quam fassa fraudis ordinem in lucem daret.
- Zeno Opem Tonantis veneror Augustae et mihi  
 Patrocinantem; meque praecipitis nimis  
 Damno furoris, damno proclivem fidem. 1285  
 Iam sese in Hyllum rabidus invertit furor.  
 Dabis, cruenta carnifex, paenas, dabis.  
 Nunc me innocentis pedibus uxoris iuvat  
 Caput manusque subdere aspersiones sua  
 Iam paene caede; me vel absolvat pia 1290  
 Vel iusta damnet: arbitrae legem sequar.
- Ach. Sero innocentem coniugem, Caesar, petis,  
 Iam mentis impos illa proripuit fugam  
 Sago virili cincta, quo traxit dolor.
- Zeno Heu, quo profugit? cur vel invitam, Pater, 1295  
 Tua non retraxit dextra, non tenuit sinus?
- Ach. Muliebris ardor impotens flecti ruit.
- Zeno Me, me sequatur regia; Augustae fugam  
 Venemur omnes. praefere, o Coelum, facem.
- Ach. Resiste, Caesar; concito huc Phaedrus gradu 1300  
 Se fert, euntis fidus Augustae comes.
- Zeno Effare, puber, quo latet coniux loco?  
 Vivitne sospes?  
*venit Phaedrus cum telo cruento.*
- Phae. vixit et semper tua  
 Ariadna vixit et tui semper memor.
- Zeno Vixit? quid ergo? non adhuc vivit? refer. 1305
- Phae. Hoc ipsa telum mittit aspersum suo  
 Cruore, nempe munus optatum tibi,  
 Suique amoris pignus aeternum dicat.  
 Hic mucro cordis subiit ardentis sinum  
 Sensitque, quanta ferveat amoris face. 1310

*Achatius accipit cultrum.*

- Hic tibi Ariadnae referat exanguis fidem.  
 Zeno Heu, mucro vitae penitus abscindit fibras?  
 Viden', nefande Zeno, regnantum pudor,  
 In quos malorum vortices, in quos feri  
 Angoris aestus, quas et in syrtes tuam 1315  
 Tuus Ariadnam rapuit enormis furor?  
 Amata coniux, potuit hoc amens caput  
 De te vereri nomen aut umbram doli!  
 Parum vereri fuerat: horrificum scelus  
 Et credidi et damnavi et extremis dedi 1320  
 Paenis luendum; quodque in horrorem trahat  
 Stygiae paludis monstra, inauditam, insciam,  
 Mersam sopore super maritalem torum  
 Ferro opprimendam coniugem insontem dedi.  
 Si languide in mea sensa propensam semel 1325  
 Te noverim, si segnius amantem mei,  
 Non tam scelestus videar; at quam fervide  
 Tuus aestuavit ad meas flammam amor?  
 Et potuit hos extinguere ardores furor?  
 Quid, Zeno, terrae pondus et mundi scelus 1330  
 Odiumque Coeli vivis? absolve hoc probrum,  
 Hoc perde monstrum. porrige hoc ferrum, Pater,  
 In haec adactum viscera furori litet  
 Hac execranda victima; at purus cruor  
 Spirans amorem coniugis cordis feri 1335  
 Horret cruorem, sordidum attactum fugit.
- Ach. Desiste, Caesar; forsitan nondum perit  
 Augusta.
- Zeno                   misera caede iam telum calet.  
 Ach. Quandoque caedis induit formas amor.  
 Zeno Quid, Phaedre, vivit uxor?  
 Phae.   enarret Pater. 1340  
 Ach. Vivit.  
 Zeno                   revixi. ludis, heu, miserum, Pater?  
 Ach. Vivit.  
 Zeno                   quid iste vana mentitur cruor?  
 Ach. Mentitur arte, quo tui exploret dolor  
 Arcana cordis; ardeat amoris rogo,  
 An frigus intus fervet et caleat foris? 1345  
 Est unus animi fidus interpret, dolor.
- Zeno Si vivit uxor, redde; me reddes mihi.  
 Ach. Augusta, prodi.  
 Zeno                   remigrat in venas calor.

## Scena nona

<Achatius, Zeno, Phaedrus, Ariadna>

*Supervenit Ariadna.*

- |                                 |  |  |
|---------------------------------|--|--|
| Ar.                             | Dilecte Zeno, proditos Hylli dolo<br>Tuos amores paene redivivos cape.<br>Tua sum; virile tuus amor cinxit sagum,<br>Idem fugam coegit, insontis cruor<br>Ne te impiaret coniugis scelere et probro.   | 1350   |
| Zeno                            | Vitae redonas uxor hoc anguis caput<br>Laqueo inserendum; munus hoc vitae tuum<br>Tibi reddo, plantis obtere ac telis fode.  | 1355   |
| <i>procumbit in genua Zeno.</i> |  |  |
| Ar.                             | Assurge, Zeno; nulla te noxae lues<br>Faedat. tua Hylli fraudibus adhaesit fides,<br>Hinc ira vindex pepulit ad faedam necem.<br>Si peccat error, labis est insons amor.<br>Errasse praestat: error hic plane innocens<br>Vitale nectar mortis e tabo refert,<br>Et flos amarus melleos fructus tulit.<br>Aestus amoris mutua ardentem face<br>Vterque nostrum sensit; ad flatus tuos<br>Quantum meus amor arsit et quantum meae<br>Ad ficta caedis nomina exarsit tuus! | 1360<br><br><br><br><br><br><br><br><br><br><br>1365 |
| Zeno                            | Bis immerentem retrahis ad vitam pia,<br>Et dum nefandum mitis ad monstrum redis,<br>Et dum benigna supplici parcis reo.   | 1370   |
| Ar.                             | Infausta pelle nomina; in laetos amor,<br>Risus, voluptas, gaudia erumpant sonos.<br>Me rapuit Orcus, me tibi reddit Polus.<br>Paena in scelestam corrui, capta est sua<br>Fraus ipsa fraude, retia expandit sibi.   | 1375   |
| Ach.                            | Ergo Tonanti, nostra qui certo movet<br>Consilia nutu providus, grates date.   |  |

Finis

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Erstausgabe von 1662. Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht, die auffällig vielen Druckfehler wurden verbessert. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *paen-/faed-/faemin-* für *poen-/foed-/foemin-* (36, 36, 276, 644, 661, 1074, auch 619 *paene* statt *pene*), aber *Coel-* für *Cael-* (1250, 1269), *deprehensus* für *depraehensus* (230), *lit-* für *litt-* (A8, A13); enklitisches *-ne*, *-nam* ohne Abstand (94, 201, 575, 645, 892, 1173, 1303; 980) zusammen *adhaesit* (1263), *derepente* (795), *nondum* (294, 862, 986, 1337), mit Apostroph *audin'* (809), *nostin'* (891), *vultin'* (898), *viden'* (1313). Groß geschrieben wurde: *Augustus/Augusta* (11, 347, 791), *Styx/Styg-* (349, 425, 605, 648, 737, 1037, 1097, 1257) sowie 104 *Imperatrix*, 138 *Caesar*, 237 *Praesul*, 249 *Aetheris*, 288 *Caesaris*, 397 *Eoi*, 415 *Domina*, 426 *Orcum*, 442 *Caesar*, 476 *Caesar*, 487 *Polus*, 588 *Cerberi*, 606 *Avernalem*, 607 *Erymnys*, 613 *Tartareo*, 630 *Phaedri*, 657 *Patronum*, 740 *Orco*, 894 *Domina*, 912 *Dominae*, 916 *Coelo*, 922 *Phaedro*, 1067 *Dominam*, 1078 *Patroni*, *Patris* (wie 1054), 1094 *Erymnys*, 1221 *Polus*, 1245 *Tartaream*, 1250 *Aether*, 1269 *Coeli*; klein dagegen: *aula* (442, 468, 477), *coniux* (842, 1291, 1316), *regia* (920, 1005, 1094), *uxor* (A13, 13, 731, 946, 995) sowie 3 *culmen*, 36 *sed faeminae*, 95 *conclavia*, 147 *complexus*, 244 *castris*, 365 *adhuc*, 440 *candens*, 500 *orbis*, 556 *flores*, 556 *martis*, vor 581 *epistolam*, 581 *lux*, 679 *amor*, 739 *papyrus*, 742 *paginam*, 759 *iussa*, 771 *ferrum potius an probas*, vor 804 *epistolam*, 959 *amice*, 972 *principi*, 1001 *perfida*, 1290 *arbitrae*, 1329 *terrae*, 1359 *amor*.

Im Darstellerverzeichnis wurde *Hyllus* statt *Illus*, *Achatius* statt *Acatius* gesetzt; die erläuternden Zusätze wurden nach den Formulierungen des 'Argumentum' und V.64, 1066 gegeben. Vor Szenenbeginn wurden 3,5, 3,8, 4,4, 5,5, 5,9 die Darsteller, 5,8 *et postea* ergänzt; geordnet wurde nach der Reihenfolge des Auftritts statt 1,1 *HD*, 3,6 *HD*, 4,1 *ZPhAH*, 4,5 *ZAL*, 4,6 *Aph*, 5,6 *HD*, 5,8 *ZAPh*. Nach 406, 558 zentriert, im Gegensatz zu den anderen groß und normal geschriebenes *Fit ludicrum*, *Fit chorea* wurde als Regieanweisung gewertet; die Regieanweisungen nach 784, 919 bzw. 1304 wurden nach 785, 917 bzw. 1303a verschoben.

- 20 *amantis perditae* statt *amantisperditae*
- 43 *fraudi* statt *frandi*
- 73 *iussa* statt *iusta*
- 91 *Auguste* statt *AGuste*
- 125 *arcto* statt *arcta*
- 128 *muliebres* statt *mnliebres*
- 140 *iussis* statt *iustis*
- 158 *arcana* statt *arcaua*
- 195 *invidentis* statt *invidentis*
- 207 *quales* statt *qualcs*
- 219 *fraudis* statt *frandis*
- v234 *Leontius* statt *Leontiut*
- 238 *urgentem* statt *urgenrem*
- 259 *poenitet* statt *poeniter*
- 267 *sese* statt *scse*
- 268 *Hyllum* statt *Hyllnm*
- 311 *nova* statt *nona*
- 312 *Hyl.* statt *Kyl.*
- 314 *vices* statt *vives*
- 330 *somniis* statt *somiis*
- 375 *servire* statt *servi re*
- 383 *lingua* statt *lingna*
- 384 *conatus* statt *covatus*
- 386 *succussus* statt *suecussus*
- 405 *flores* statt *flotes*
- 423 *salus* statt *satus*
- 437 *novum* statt *noteum*
- 468 *invidentem* statt *invidenrem*
- 476 *mens* statt *maens*
- 488 *caput* statt *capnt*
- 505 *tumentem* statt *tnmentem*
- 507 *false* statt *falle*
- 516 *caeptis* statt *captis*
- 539 *fraudis* statt *frandis*
- 546 *tendens* statt *rendens*
- 551 *prae caeteris* statt *praecaeteris*

552	<i>geret</i> statt <i>gerer</i>
567	<i>tentum</i> statt <i>tntum</i>
567	<i>face</i> statt <i>fare</i>
607	<i>Erymnys</i> statt <i>erimnys</i>
619	<i>caute</i> statt <i>cante</i>
625	<i>eluditur</i> statt <i>eleditur</i>
626	<i>cadente</i> statt <i>cadent</i>
630	<i>unguibus</i> statt <i>uniguibus</i>
v637	<i>aenigma</i> statt <i>enygma</i>
637	<i>aenigma</i> statt <i>aenygma</i>
669	<i>instabile</i> statt <i>instabille</i>
672	<i>neges</i> statt <i>veges</i>
674	<i>quid</i> statt <i>qnid</i>
674	<i>malignas</i> statt <i>maliguas</i>
677	<i>sceptra</i> statt <i>seeptra</i>
744	<i>annulum</i> statt <i>annnlum</i>
752	<i>manu</i> statt <i>mann</i>
758	<i>defer</i> statt <i>dcfer</i>
764	<i>dēdecora</i> statt <i>dēdeora</i>
802	<i>Styx</i> statt <i>Syx</i>
846	<i>Cerbereo</i> statt <i>cerbero</i>
882	<i>iuvat</i> statt <i>iunat</i>
895	<i>tuetur</i> statt <i>tueuur</i>
898	<i>eloquar</i> statt <i>eloqnar</i>
959	<i>tuus</i> statt <i>tuns</i>
965	<i>claudunt</i> statt <i>clandunt</i>
974	<i>fidem</i> statt <i>fiaem</i>
999	<i>putatur</i> statt <i>pntatur</i>
1008	<i>Zeno</i> statt <i>Ye</i> .
1024	<i>adorat</i> statt <i>adurat</i>
1031	<i>mortales</i> statt <i>morrales</i>
1039	<i>saepum</i> statt <i>saepsum</i>
1088	<i>Zenoni</i> statt <i>Zeuoni</i>
1093	<i>sceptrum</i> statt <i>sceptrnm</i>
1143	<i>velint</i> statt <i>veliut</i>
1163	<i>nimum</i> statt <i>uimum</i>
1210	<i>instruentem</i> statt <i>instruenrem</i>
v1224	<i>supervenit</i> statt <i>supervenet</i>
1224	<i>supremos</i> statt <i>snpremos</i>
1229	<i>nunquam</i> statt <i>numquam</i>
1251	<i>tonat (sonat?)</i> statt <i>onat</i>
1284	<i>meque</i> statt <i>m que</i>
1295	<i>cur</i> statt <i>cnr</i>
1299	<i>facem</i> statt <i>sacem</i>
1332	<i>monstrum</i> statt <i>manstrum</i>
1361	<i>error</i> statt <i>orror</i>
1373	<i>Polus</i> statt <i>Polns</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: A2, A2, A4, A6, A11, A12, 2, 4, 11, 44, 47, 53, 54, 56, 57, 62, 69, 72, 76, 81, 89, 89, 108, 109, 113, 116, 122, 123, 125, 126, 127, 150, 158, 158, 160, 179, 199, 207, 212, 213, 233, 244, 249, 252, 256, 263, 270, 273, 276, 292, 293, 321, 324, 332, 335, 337, 338, 342, 343, 345, 347, 351, 354, 356, 359, 360, 368, 370, 390, 401, 404, 418, 422, 428, 452, 457, 464, 470, 478, 489, 490, 491, 492, 497, 501, 511, 527, 544, 549, 554, 556, 565, 573, 594, 598, 602, 602, 609, 619, 631, 639, 641, 645, 657, 664, 665, 666, 693, 695, 715, 730, 741, 743, 747, 753, 759, 771, 774, 775, 780, 804, 805, 831, 832, 834, 835, 852, 868, 874, 917, 934, 935, 936, 947, 954, 957, 960, 963, 980, 1024, 1028, 1029, 1032, 1033, 1036, 1041, 1050, 1054, 1065, 1072, 1073, 1076, 1078, 1086, 1107, 1114, 1122, 1124, 1132, 1135, 1144, 1145, 1154, 1155, 1167, 1179, 1193, 1195, 1196, 1201, 1209, 1223, 1235, 1236, 1247, 1254, 1256, 1274, 1276, 1277, 1278, 1278, 1289, 1290, 1303, 1304, 1309, 1318, 1320, 1320, 1330, 1330, 1345, 1353, 1356

‘Komma’ gestrichen nach: 31 *cadente*, 94 *Zeno*, 129 *uxoris*, 129 *oculatos*, 131 *me*, 227 *fraudis*, 228 *turpis*, 287 *uxor*, 288 *Hyllum*, 301 *Zeno*, 457 *falsa*, 537 *remissa*, 540 *creditor*, 588 *heu*, 614 *atrox*, 659 *impia*, 688 *Dite*, 771 *ferrum*, 780 *atramenta*, 808 *famulus*, 940 *silente*, 988 *arcana*, 1047 *vota*, 1057 *Phaedro*, 1103 *vertici*, 1221 *Polus*, 1239 *Augusta*, 1244, 1319 *parum*, 1319 *vereri*, 1335 *coniugis*, 1368 *bis*, 1370 *benigna*

‘Komma’ ergänzt: A1, A1, A3, A4, A5, A5, A5, A6, A8, A11, 38, 47, 62 *te*, 101, 139, 149, 162, 163, 179, 188, 229 *prosit*, 242 *fastus*, 254, 254, 258, 262 *et*, 278 *caput*, 288 *prece*, 292, 293, 297 *cruorem*, 297 *Caesar*, 311, 317 *lustrare*, 325, 329, 330, 331, 331, 332 *et*, 352, 352, 358,

- 360 *medullas*, 360 *et*, 365, 377, 380, 395 *aulae*, 397, 407 *pubes*, 410, 413, 416, 417 *premit*, 420, 420, 429 *litteras*, 430, 433 *unde*, 435 *ut*, 439, 442, 442, 443, 444 *pavescit*, 472, 473 *precibus*, 476 *mens*, 488, 494, 506 *Charybdim*, 508, 516 *caeptis*, 517, 537, 546, 547, 548, 554, 556, 561 *parva*, 563, 564, 564, 566, 566, 568, 580, 580, 593 *salus*, 598, 600 *fera*, 614, 638, 643 *cur*, 646, 649, 654 *cruor*, 655, 668, 669 *instabile*, 670 *minax*, 671, 672, 674, 675, 675, 677 *prodam*, 678, 701, 712, 713 *Coelum*, 729 *nunc*, 736 *te*, 739, 741 *et*, 745 *heu*, 746, 749, 749, 756, 761, 761, 763, 765, 769, 769, 770, 772, 775, 776, 785, 786, 787, 801 *squalleas*, 809 *audin*’, 815, 817 *heu*, 818, 821 *libuit*, 821 *fortunas*, 823, 827, 829, 838, 840 *lepor*, 842, 844, 848, 873 *sed*, 886 *veri*, 889, 889, 895, 902 *pande*, 907, 909, 914, 914, 915 *vestro*, 918, 919, 921, 924 *heu*, 927, 927, 948 *admovebit*, 948 *ferrum*, 950, 950, 955, 956, 957 *horrenda*, 957 *et*, 958, 959 *iste*, 961, 965, 967 *favor*, 974, 977, 997, 1004, 1008, 1008, 1009 *nunc*, 1018 *vomit*, 1019, 1024, 1024, 1029 *et*, 1046 *texam*, 1053, 1058, 1061 *novi*, 1062, 1062, 1065, 1066, 1069 *paterno*, 1071, 1071, 1079 *tuo*, 1080, 1081, 1081, 1088, 1102 *nunc*, 1102 *Zeno*, 1104 *fare*, 1115 *et*, 1130, 1143, 1157, 1163, 1163, 1165, 1167, 1168, 1173 *prius*, 1178, 1195, 1195, 1197 *heu*, 1197 *repente*, 1197 *heu*, 1203 *telum*, 1204, 1205, 1211, 1211, 1211, 1222 *Zeno*, 1229, 1233, 1246, 1251, 1262, 1269 *ipse*, 1287 *dabis*, 1287 *carnifex*, 1292 *coniugem*, 1292 *Caesar*, 1294, 1295 *heu*, 1295 *Pater*, 1298, 1299, 1299, 1300, 1302 *effare*, 1310, 1312, 1313 *viden*’, 1313 *Zeno*, 1332 *ferrum*, 1337, 1340 *quid*, 1341, 1341, 1341, 1348, 1357, 1371
- ‘Komma’ statt ‘Punkt’: 13, 21, 77 *optant*, 142, 805, 961
- ‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 25, 574, 859, 901
- ‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 8, 67, 83, 89, 91 *diem*, 186, 198, 216, 226, 256, 468, 492, 532, 541, 623, 624, 653, 707, 791, 795, 811, 814, 832, 861 *furor*, 1035, 1083, 1085, 1096, 1146, 1151, 1206, 1243, 1252, 1253, 1322 *monstra*, 1343, 1351, 1358, 1362
- ‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 115, 518, 730, 798, 993
- ‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 609
- ‘Punkt’ gestrichen: 666 *pudoris*, 771 *ferrum*, 981 *faces*
- ‘Punkt’ ergänzt: 8, 64, 78, 110, 127, 130, 133, 137 *animus*, 138 *nego*, 171, 224, 227, 233, 290, 306 *detrahit*, 321, 327, 331, 341 *papyrus*, 359, 363, 379, 412, 462, 465, 467, 540, 543 *siste*, 549, 554, 559, 656, 665, 678, 679, 682, 748, 796, 829, 835, 858, 906, 929, 944, 955 *monet*, 987 *notis*, 1029, 1091, 1151, 1202, 1212, 1214 *manu*, 1215 *dolo*, 1228, 1236, 1275, 1347, 1359, 1375
- ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: A8, 84, 93, 108, 148, 193, 307, 323, 352, 357, 372, 429, 449, 498, 522, 596, 622, 705, 711, 713, 790, 815, 822, 854, 863, 989, 1154, 1279
- ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 41, 121, 178, 184, 188, 194, 271, 318, 377, 417, 471, 494, 562, 579, 616, 699, 763, 778, 806, 914, 933, 951, 955, 1000, 1060, 1088, 1110, 1119, 1128, 1166, 1247, 1251, 1271, 1299 *omnes*, 1340, 1358, 1363
- ‘Punkt’ statt ‘Komma’: 218 *fortius*, 354, 370, 403, 436, 568, 636, 921, 974, 1103, 1184
- ‘Punkt’ statt ‘Fragezeichen’: 519
- ‘Strichpunkt’ gestrichen: 437 *notum*, 1005 *fuge*, 1096 *crea*, 1366 *arsit*
- ‘Strichpunkt’ ergänzt: 1067, 1242
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 381, 591
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 13, 259, 376, 456, 520, 655, 696, 732, 868, 930, 952, 964, 1034, 1043, 1117, 1191, 1257, 1327, 1355
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: A11, 82, 247, 272, 315, 424, 544, 561, 573, 617, 725, 754, 772, 811, 820, 828, 832, 844, 902, 950, 974, 1020, 1066, 1086, 1166, 1204, 1218, 1245
- ‘Doppelpunkt’ ergänzt: A3, 556, 614, 652, 743, 812, 908, 963
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Punkt’: vor 581, nach 770, nach 803, 1072
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 15, 189, 269, 369, 427, 571, 756, 764, 867, 1089, 1153, 1361
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 143, 627, 1291
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 637, 956, 993
- ‘Fragezeichen’ statt ‘Ausrufezeichen’: 566, 668
- ‘Ausrufezeichen’ ergänzt: 255
- ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 755, 924
- ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Strichpunkt’: 577
- ‘Ausrufezeichen’ statt ‘Fragezeichen’: 1234, 1367
- ‘Anführungszeichen’ ergänzt: 581ff., 584ff., 589ff., 598f., 602ff., 804ff., 813ff.
- ‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 60, 662